

**Quaestio medica, an incerta luis venereae curatio, absente medico? / [Jacques-Louis Alleaume].**

**Contributors**

Alleaume, Jacques-Louis, 1724-1802?  
Dionis, C. 1710-1776.  
Université de Paris.

**Publication/Creation**

[Parisiis] : [Quillau], [1749]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/hmvrf7ka>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

12  
DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI - PARÆ, ET S. LUCÆ  
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS  
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Mercurii decimo-nono  
mensis Novembris, anno Domini M. DCC. XLIX.*

M. CAROLO DIONIS, Doctore Medico ;  
Præfide.

*An incerta Lues Venerea curatio, absente Medico ?*

I.



UÆ ex rerum hujus orbis propè omnium artiumque plurimarum cognitione efflorescit, totius hominis conservatrix medendi scientia, à Deo cujus est munus, præcipue commendata, nullâ majori infelicitate laborat, quàm quòd, dum benefacit omnibus, malè audit apud aliquos, quorum alii incertam & inconstantem, nonnulli vanam, etiam exterminandam clamitant reliqui: Ars constituenda nulla sine legibus certis; sine constantibus præceptis, stabilis nulla; Altius jacta sunt legum Medicinæ fundamenta, justis rationum ponderibus astructa, Arte Magistrâ ac methodo constructa, longâ temporum meditatione usuque exercitatissimo. Necesse est Medico, sit in arte eruditus, ut opera sua ad leges referat: ad leges naturæ in curatione morborum perspicax attendat Medicus. Curandi difficultate, cæteris antestat Lues Venerea seu Syphilis, ex minimâ virulenti humoris qui eam aluit, vel obortos affectus excitavit, portione post curationem superstite etiam in extimis corporis partibus, post decem, viginti, aut etiam plures annos, eadem suis omnibus comitata symptomatibus, si negligitur, recrudescit, & pari feritate repetit, atque etiam majore; non secùs ac incendium nonnunquam majus, ex leviori scintillâ, si permittitur, oritur: à parentibus hâc labe contaminatis, quandoque natis transmittitur; infausta hæreditas! Sæpè matrem & infantem simul trucidat, eidemque mandat tumulo. Uxorem & maritum eodem telo plerumque conficit: per venas serpit perfida, corporis partes vel omnes absument; acuta est, cum repente ferit ac celeriter necat; diuturna-ve, cum omnes corporis partes sensim delet ac depascit: **morbum hunc simplicem ne credas: gradus habet longè inter se distitos.**

A

## I I.

**SYPHILIS** prisca non ignota, Indis vernacula, turpioris nostratibus intemperantiæ morbus, fatalis est gladius quo concidunt multi; monstrum adeò immane, nulla gens sibi vindicat proprium. Si definitionem quæras; aucta paucis: \* Est hic morbus, qui & Neapolitanus dicitur, universalis humorum per totum corpus corruptio, quâ particulæ non nihil viscidæ & corrosivæ per impurum plerumque coitum contractæ, atque hinc sanguini communicatæ, non tantum glandulosas, hinc inde partes sed & musculos, tendines, nervos imò tandem & ossa exedunt, corrumpunt, atque ita quamplurimis symptomatibus gravissimis morbisque etiam variis ansam præbent. Pars non una in hoc morbo, sed integrum ferè corpus afficitur: scrutare diligentius varia mali teterrimi phenomena? Venenum concubitu libidinis orgasmo tumens in genitalia se inserit, quo remittente, tubulis concidentibus, venenosæ coercentur particulæ, carnosam stagnantes producunt substantiam, subit inflammatio. Intumescentiâ partium, ex glandulis effluens inspissatur lymphæ, hinc gonorrhœa virulenta ratione majoris vel minoris acrimoniæ miasmatis venerei: genitalium rarioris, solidiorisve texturæ seriùs ociùsve lues obrepit, pustulæ erumpunt, liquor modò flavus, modò viridis effluit, in ulcus abit pustula, latius & profundius serpit in dies, urethra sensim excoriatur, hinc urinæ ardor & stranguria; naturâ satagente, spongiosa nascitur substantia quâ vix urinæ datur exitus, miserè cruciantur genitalia: ad omnes interim humorum species allabitur venenum; ingruunt symptomata, lassitudo, segnities, torpor, vagus capitis dolor, & modò hujus modò illius partis, pallor in ore sedet, deturpantur oculi, inflatur facies, manus & pedes etiam hyeme plus solito calent, urget somnolentia, urgent & noctes inquietæ, mœror & tristitia insectantur, lymphæ tacito gradu coagulatur, imminet tumor in inguine, infarciuntur viscoso liquido totius corporis glandulæ, tum crustæ, porrigines, instar favi ferè flaccescentes efflorescunt, quo signo lues à leprâ scorbutoque dignoscitur & secernitur; tam acerbo torquetur æger dolore, ut lecto nequeat se continere. Acidi coagulantis acrimoniâ ossa eroduntur, intumescunt, cariola fiunt; aliæ partes phagedenicis discerpuntur ulceribus, imprimis palati glandulæ, nasi cartilago ut vel ipse decidat; exeso œsophago turpis raucedo ferit aures, erosio glandulis & poris, cutis pili defluunt, curvus homo, denique tremens ejulabundus ambulat: hi sunt satellites fidi, quibus stipatur iste morbus; hæc universa symptomata pedetentim incrudescunt, dolor præ reliquis.

## I I I.

**AT QUI** ad extrudenda tot horrenda symptomata, nullus præ cæteris quàm fidelissimus & æquissimus æstimator, conjectorque optimus, ex interioribus externisque causis, ac symptomatibus quæ mox apparent & superveniunt: Medicus denique solus: Medicos constat esse unos qui hujus morbi naturam, signa, symptomata, larvas & complicationes, simul & remedia quibuscumque morbis huic sociatis convenientiâ perfectè dignoscere valeant; sed inquires? Absque Chirurgi ministerio suum plerumque Medicus adimplere nequit officium; fateor: quid indè, non suum Chirurgus absque Medici judicio:

sæpè ex utrorumque conspiratione pendet legitima Syphilidis curatio, sed non sine ægri discrimine solus agit Chirurgus; capiat necesse est Medici sententiam, ut liquorum stases, spissitudines, corruptiones, ut solidorum marcor, ut denique molestæ, crudeles funestæque præcaveantur operationes: Chirurgus videt fortuitas causas, & objecta oculis morborum externorum symptomata: Medicus præterea prospicit eorundem causas intimas & symptomata remotiora; Medicus singulis se præbet totum, tanquam singularum in posterum futurus Magister, ut dum ad praxim pervenerit, plenis velis navigare possit: corporis affectus sive externos sive intimos cognoscit, improbo labore, animalium, plantarum & mineralium cognitionem acquirit, singulorum partes Medicus perscrutatur, odore, tactu, sapore, analysi chymicâ, nocturnâ & diurnâ meditatione è veterum scriptis, morborum Historias, symptomata, prognosim, diagnosim, agnoscit: non audax, non præceps, non etiam meticulosus in unctionibus iterandis Medicus; coram Medico multos sanitati restituit hydrargyrus, absente non paucos è medio sustulit. Venenum est hydrargyrus, alexipharmacum Syphilidis hydrargyrus; eum facit nocuum aut innocuum peritia aut imperitia medentis; si humorum copia ad fauces appellat, strangulatur æger, non curatur, si ad cerebrum rapiatur, labitur in altum gravemque somnum, à quo vix excitari potest, & interdum fit rationis inops: cave igitur decipiari; non æquis passibus incedit semper subdolanus, tot tamque varias induit larvas Proteus iste, ut aliquando, nisi tota mentis acies adhibeatur, vel perspicacissimis oculis imponat brevè tacito cursu, ementitâque mansuetudine, furim atque silentio subrepat & quas acquisiverit eundo vires rursus exerat.

## I V.

**SYPHILIDIS** si durationem spectes, hunc morbum perlongum appellaveris, si indolem, atrocissimum dixeris, si mutabilitatem, proteum nominaveris: Quæritur an extet remedium quo juvante non symptomata tantum hujus morbi evanescant protinus sed & abditum in intimis partium recessibus virus, luis fomes perpetuus, eliminetur expurgeturque universum? Non aliud quære quam quod ex mercurio, ut pote solo qui Proteum hunc aptus sit vincere, & vincere: sit ergo mercurius sacra anchora ad quam Syphilide vexati confugiant: id remedii genus multi olim tanquam perniciosum inventum repudiaverunt, dum alii de hujus præstantiâ rectius & sanius opinati sunt: hoc remedio dolores venerei sedantur, Pustulæ, tumores & nodi dissipantur ulceraque purgantur: tota vis sanandi Luem Veneream posita est in solo hydrargyro tanquam medicamento quodam divinitus monstrato, adversus tam atrox horrendumque monstrum: hæc arma suppetunt: Est hodie apud omnes Medicos in confesso, nullum aliud reperiri medicamentum, cujus sit felicio, expeditior atque efficacior vis in quorumcumque venereorum affectuum, tum interiorum tum externorum sanatione procurandâ: adhibetur mercurius multiplici modo, intus sub formâ mercurii crudi, Aquilæ albæ, Æthiopis mineralis, panacæ mercurialis, externè sub formâ linimenti, vel unguenti, cerati vel emplastri atque suffumigii: omnes enim variæ methodi Syphilidem possunt profligare, ex variâ remedii præparatione, ægrotantis dispositione, temperamento, pro morbi virium symptomatumque ratione, pro denique peritiâ medentis: Apagè tamen tot Nebulones qui tabellis, opiatis, pillulis dum curationem pollicentur, verba dant ægris, aut inferunt necem.

**I**NTER morbos essentiâ suâ, causæ indole, partis affectæ dignitate & symptomatum gravitate, vix ullus est qui certius isto laboranti funestus sit futurus, si naturæ absque artis subsidio sanandus relinquatur, quàm Lues Venerea, nullus quoque qui rectâ convenientique remediorum usurpatione, certius profligetur: securitas debetur Syphilidis notitiæ: ab eâ ad integram valetudinem reditus, Medici opus; absente Medico imperfecta curatio, unde virus residuum, Luis Venereæ fermentum, in intimis corporis partibus restitat, & in iis sopitum diù delitescit, priusquam malignitatis suæ notas proferat, nec nisi multo labore & tempore extinguitur vel excernitur: procul hinc tot ægrorum tortores, potiùs quàm medentes qui avidi prædæ, miseros excruciant & urunt: Elapsum aspice imperitorum manibus homuncionem: lividus pallet, anhelat pectus tabulatum, tremulâque sicciori cute cinguntur ossa; nemo igitur Syphilidis curationem aggrediatur, nisi apprimè noverit hujus morbi causam, naturam, sedem, materiem, symptomata; nisi medicamentorum vires, usum & abusum teneat, nisi denique sit Medicus; soli scientiæ competit rerum indagare causas: hinc patet quàm perniciosum sit humano generi, quòd curatio Syphilidis tentanda sine Medico: cuncta enim remedia, varios effectus, modò bonos, modò pessimos producant, pro diversis subjectis in quibus adhibentur: ita ut nulla sit fides adhibenda medicamentis, nisi à Medico prudente & ratiocinante adhibeantur: inconcussa igitur nostra maneat assertio, quam certatim evinunt ratiocinium, autoritas, experientia & Reipublicæ bonum.

*Ergò incerta Luis Venerea curatio, absente Medico.*

### DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Urbanus de Vandenesse.*

*M. Benjamin Ludovicus Lucas de Laurembert.*

*M. Ludovicus - Hieronymus Cosnier.*

*M. Theodorus Baron, Artis infectorie, necnon Rei metallice Inquisitor à Consilio Regio Prepositus.*

*M. Leander Peaget, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Castellato.*

*M. Ludovicus - Joannes le Thieultier, Regis Consiliarius in Majori Consilio & in magnâ Regiæ Domûs & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius, necnon Imperialis Naturæ Curiosorum Academiæ Socius.*

*M. Andreas Cantwel, Regiæ Societatis Londinensis Socius & Chirurgiæ Professor.*

*M. Ludovicus - Alexander Vieillard.*

*M. Nicolaus le Roy de Saint Aignan.*

Proponebat Parisiis, JACOBUS-LUDOVICUS ALLEAUME, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1749, à sextâ ad meridiem.